Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26325
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tuas. extende nequiciam. dilata luxuriam. quicquid libuerit licitum puta.
non te hinc punio. non te in gehennas mitto. faciem meam tantum tibi nega-
bo. Si expauisti. amasti. si hoc quod dictum est faciem suam tibi negabit deus
tuus contremuit cor tuum. in non uidendo deum tuum. magnam penam pu-
tasti. gratis amasti. Si ergo sermo meus inuenit in cordibus uestris aliquam
scintillam gratuiti amoris dei. ipsam nutrite. ad hanc augendam uos
auocate. prece. humilitate. dolore penitentie. dilectione iusticie.
operibus bonis. gemitibus sinceris. conuersatione laudabili. amicitia
fideli. hanc scintillam boni amoris flate in uobis. nutrite in uobis.
ipsa cum creuerit. et flammam dignissimam et amplissimam fecerit. omnium
cupiditatum carnalium fena consumit. Item de uerbis apostoli. cui wlt
.xx. vomodoiam va miseretur. et quem uult obdurat. et de psalmo nonagesimo quinto.
Quando introducerit in domum. sic titulus psalmi huius ducit in intellectum.
Pre notatur enim sic. Quando domus edificabatur post captiuitatem. Videris
que domus indicat tibi iam psalmus. Cantate domino canticum nouum. cantate
domino omnis terra. Ecce que domus. Quando omnis terra cantat canticum nouum.
domus dei est. Cantando edificatur. credendo fundatur. sperando erigitur.
diligendo perficitur. Modo ergo edificatur. sed in fine seculi dedicatur. Concurrant
ergo lapides uiui ad canticum nouum. concurrant et coaptentur in structuram
templi dei. agnoscant saluatorem. recipiant habitatorem. Dictum est
que domus. dicendum est post quam captiuitatem. Et hoc tibi indicat psalmus.
Sequere paululum. Cantate domino canticum nouum. cantate domino omnis terra.
cantate domino. benedicite nomini eius. bene nunciate de die in diem
salutare eius. annuntiate inter gentes mirabilia eius. in omnibus populis
gloriam eius. quoniam omnes dii gentium demonia. Ecce sub quorum captiui-
tate latebat domus. Ex prima enim transgressione primi hominis uniuersum genus
humanum natum cum obligatione peccati. uictor diabolus possidebat.
bat. Si enim sub captiuitate non teneremur. redemptorem non indigeremus.
Venit ad captiuos non captiuus. uenit ad captiuos redimendos. nichil in se
captiuitatis. hoc est iniquitatis habens. sed carne mortali precium
nostrum portans. Si enim carnem mortalem non haberet. unde manaret
sanguis quem pro captiuis funderet. Ille autem qui ad captiuitatem nostram uenit